



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

123. Decisio Sacrae Rotae Romanae coram R. P. D. Meltio, in causa
Corduben. dimidiae portionis. Veneris 20. Iunii 1653

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

cap. 7. num. 209. Marefc. *refol. diſt. lib. 2. cap. 40. n. 13.*
 & num. 23. & 24.

5. Quapropter remoueri non poteſt obiectum ta-
 lis pacti, quod præter propriam vim etiam iuriſti-
 tandi Sacramento fuit roboratum, vt ponderauit Ro-
 ta coram Duran. *decifion. 8. numero 4. cum ſeqq.* ad
 cuius derogationem ſemper ſpecifica mentio require-
 batur, vt in prima decifione ſignatur; adeo quod fa-
 cultas transferendi non ſuffragetur, quando ex pacto
 in reſeruatione penſionis appoſito prohibita erat
 tranſlatio, vt bene probant Rot. *decifion. 689. nume-
 ro primo, part. 4. diuerſ. quæ apud Zech. inuenitur
 oblig. Camer. decifion. 1. 8. numero primo, & decifion. 53.
 numero primo, part. 5. recent.* quatuor vim non effu-
 gient reſpondentes, quod in *diſt. decifion. 689. numero
 ſecundo, & ſeq.* dicatur Pontificem abſque conſenſu
 alicuius poſſe ex mera libertate penſiones transferre;
 quia non ex eo ibi reiecta fuit pacti oppoſitio, ſed
 quia pactum non verificabitur in facto, & penſio fue-
 rit ſimpliciter reſeruata, vt ex eius lectura mani-
 feſte conſtat. Nec magis ſatisfit *diſt. decifion. 155. part. 5.
 recent.* dicendo quod eius numero primo & ſecundo. de-
 ducuntur motiua pro ratione dubitandi, & num. 15.
 cum ſeq. obiectis reſpondendo dicitur, quod licet Ti-
 tularis conſentiat ad vitam penſionarij tantum, nihilo-
 minus poſſe Papam concedere facultatem transferen-
 di, cum priuatorum conſenſu non poſſit altate naturam
 reſeruationis penſionis: Nam hæc reſponſio in nihilo
 Tranſlatarium reuelat, cum non dubitetur de po-
 teſtate Pontificis, ſed ſolum de ipſius ſcientia, &
 voluntate nec doctrina generalis *diſt. num. 15. radica,
 quod ſemper cenſetur penſio reſeruata ad vitam
 tranſlatarij poſſit applicari ad ſpeciem propoſitam
 decreti prohibentis tranſlationem, & pactum ini-
 tum inter transferentem, & tranſlatum de quo no-
 ticiam habuiſſe Pontificem non conſtat, nec quod
 ei derogare voluiſſet, vt præter allegatos in prima
 decifione comprobant Gonz. de *regul. 8. Cancell.
 gloſſ. 36. numer. 36. Modern. Mediol. diſt. cap. 7. nu-
 mer. 217.**

6. Nec poteſt dici ſummum Pontificem derogariſſe
 pacto, ac ſuppleuiſſe conſenſum titularis in indul-
 to tranſlationis, dum conſeſſit facultatem tranſfe-
 rendi penſionem perinde ac ſi ipſemet Titularis
 tranſlationi dictæ penſionis conſeſſiſſet. Nam præ-
 dicta facultas ſolum reſpicit conſenſum requiſitum
 Titularis ad tranſlationem penſionis iuxta regulas
 Cancellariæ, cui Pontifex derogare voluit, & ſic
 conſenſum futurum, non verò præteritum ex pacto
 præcedenti, quod valde diuerſum eſt; Si quidem pri-
 mus conſenſus eſt ſimplex vnius, iſte verò recipro-
 cus vtriuſque partis per quem ius Titulari quaſitum
 fuit, & cui Papa non cenſetur derogare voluiſſe,
 quamuis derogariſſet ſimplici conſenſu Titularis Rot.
*decifion. 347. numero quarto. verſ. ex quibus, & nu-
 mer. 5. & ſeq.* vbi ſubditur quod derogatio tanquam
 odioſa non debet extendi ad alios caſus, & *dec. 484.
 num. 4. part. 4. tom. 2. recent. coram Penia decifion. 1582.
 num. 20. & ſeq. Marefc. var. reſol. diſt. lib. 2. d. cap. 37.
 num. 35.*

7. Quod vero Reuerendiſſimo, Epifcopo tranſfe-
 rendi penſio non debeat, amplius non controuer-
 titur, & ſatis in decifione qua reuidentur §. ſed nec mi-
 nus fuit comprobatum, adeo vt noua confirmatione non
 indigeat.

Atque ita vtraque parte, &c.

DECISIO CXXIII.

Sacra Rotæ Romanæ coram R. P. D. Melio.

In cauſa Cordubeni dimidiæ Portionis.

Veneris 20. Junij 1653.

§. 1. Vacante dimidiâ portione in Eccleſiâ Cathedra-
 lî Cordubeni, per obitum Ioann. Sanch. Ro-
 mero, ſiue per obitum Hieronym. de Leyua, & Rue-
 da, que per ceſſionem Didaci de Nauas Solano, vel
 per reſignationem Alphoſi Nauarro, de ea à Data-
 ria fuit prouiſus Dominus Didacus Yrapzu del Pi-
 no, qui ſubrogationem gratioſam obtinuit in om-
 ni iure quod præfatis omnibus competeat, & præ-
 fertim in poſſeſſione in qua D. Ioannes Sanchez Ro-
 mero exiſtebat, expeditiſque literis Apoſtolicis illas
 præſentari curauit in Capitulo, à quo perita poſſeſ-
 ſione illud mandauit quod prius reuiderentur dictæ
 literæ pro habenda certitudine quod in illis narra-
 ta vera eſſent, & deinde reſpondit quod erat paratum
 ad executionem dictarum literarum, ſatisfacto tamen
 prius per eundem Didacum ſtatuto puritatis ſanguis-
 nis, quod haber Eccleſiâ Corduben, ad ſui fauorem
 auctoritate Apoſtolica confirmatum, vt in Summ.
 Capituli numero primo. Cum autem de nouo facta
 fuiſſet inſtantia per eundem Didacum pro obtinen-
 da tali poſſeſſione, illa ei denegata fuit, eo ſub præ-
 textu quod minime fuiſſet impletum dictum ſtatutum.
 Commiſſa igitur appellacionis cauſa in Rota
 dubitarum fuit an literæ Apoſtolicæ ſint iuſtificatæ
 ita vt D. Didaco danda ſit immiſſio, & propoſito per
 me hac ſub die, huiusmodi dubio, quoad vtramque
 illius partem Doctores affirmatiue reſponderunt, da-
 ta enim iuſtificatione literarum Apoſtolicarum vt Pro-
 uiſo danda ſit immiſſio adinſtat l. ſin. Cod. de edit.
 Diu. Andr. *roll. declarat. Vitalin. in clem. 1. num. 68.
 de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Bald. in l. 2. numero 65.
 Cod. de ſeruit. & aqua. Menoch. de adipiſcent. rem.
 6. numero 35. Rot. coram Seraphin. decifion. 357. nu-
 mero primo. Gregor. XV. decifion. 335. numero decimo
 quinto decifion. 338. & 699. vtrouique num. 1. part. 2.
 recent. & coram Buratt. dec. 433. n. 1. & alibi ſæpius
 fuit dictum.*

2. De iuſtificatione autem dictarum literarum dubi-
 tati non poſſe viſum fuit, quia de Vacatione iſtius
 beneficij, ſiue dimidiæ portionis ſecuta per obitum
 Ioan. Sanch. Romero extra Romanam Curiam de
 menſe reſeruato, vt narratum fuit in literis con-
 ſtat ex depoſitionibus teſtium ſer. ſer. examinato-
 rum ex quibus colligitur dictum Ioan. Sanch. obiiſ-
 ſe in poſſeſſione huius dimidiæ portionis de dicto
 menſe Februar. 1646. Summ. Didaci numero quarto,
 qui menſis, Epifcopo non gaudente alternatiua, vel
 vbi collatio eſt ſimultanea, provt ea gaudet Capitu-
 lum Corduben iuxta probationes datas eodem Summ.
 Didaci numero quinto, eſt reſeruatus ex Regula Can-
 cellariæ octaua hodie nona, Rota coram Gregor. XV.
decifion. 103. numero quarto. vbi quod alternatiua in-
 trat ſolummodo reſpectu beneficiorum ad liberam
 Epifcopi Collationem ſpectantium, non autem in il-
 lis ſimultaneæ collationis, dicti autem teſtes probant
 concludenter obitum Ioan. Sanch. de dicto menſe
 Februar. licet deponant de ſolo auditu, & de publi-
 ca voce, & fama, quia non datur concuſus alte-
 rius prouiſionis Rota coram Gregor. XV. *diſt. decifion.
 203. numero 6. & fuit reſolutum in Maiorican.*

Iti 4. beneficij

beneficij 27. Februarij 1643. coram me; sed contradicit tantummodo. Capitulum, quod habet collationem simultaneam cum Episcopo.

3. Prouisio Didaci de Nauas Solano obtenta à Sede Apostolica per obitum dicti Ioan. Sanch. ac libera cessio dicti Didaci in manibus Papæ; necnon noua prouisio, seu mandatum de prouidendo ad fauorem Hyeronimi de Leyua, y Rueda probatur ex assertione facta à Papa in literis expeditis ad fauorem Didaci, quæ maiorem non requirit probationem. Cum attestatio Papæ præcisa de actu coram se gesto de per se conclusenter probet, ac sufficiat absque alia probatione ad Text. in cap. ex parte Decani de rescripti. vbi Imola sum. 15. clem. 1. de probat. Oldrad. consil. 232. numer. 2. Rota coram Martin. Andr. decis. 57. n. m. 3. Et coram Merlin. decis. 40. numer. 6. & decis. 838. sub n. 1. & 3.

4. Obitus dicti Hyeronimi de Leyua y Rueda secutum fuisse de mense Iulij 1649. seu alterius verioris anni probatur etiam ex depositionibus Testium datis in eodem Summ. Didaci numero septimo, qui licet deponant de auditu, ac de publica voce, & fama tantum, ad istum tamen effectum sufficiunt Rot. coram Gregor. XV. decisio 176. numero septimo; ex eadem ratione quia hic non agitur de concursu prouisionis, & licet Capitulum Cordub. contradicat, animaduerti tamen debet illud omnia in literis narrata tacite admisisse dum requisitum à Didaco solum adimplementum statuti facientis super puritate sanguinis, si enim quoad reliqua narrata literæ illi vitæ non fuissent sufficienter iustificatae, eas quoque impugnasset ex aliis rationibus: Vnde bene hic videtur adaptari conclusio, quod inclusio vnus est exclusio alterius. l. cum Prætor ff. de Iudic. Gloss. in l. Maritus verb. præscripsit. Cod. de procurat. Grat. consil. 53. numero 54. lib. 1. Rot. decisio. 152. numer. decimo quarto part. 6. recent.

5. Prouisio vero Alphonsi Nauarro siue ex causa obitus dicti Ioan. Sanch. siue obitus Hyeronimi de Leyua, siue cessio Didaci de Nauas probatur, & ipsa ex attestacione Pontificis emissa in literis, prout etiam ex eadem probatur cessio siue resignatio liberè facta ab eodem Alphonsio in manibus Papæ, quæ cum etiam sit præcisa, ac loquatur de actu coram eodem Pontifice gesto, satis probat, ac liberat ab onere maioris probationis vt præter supra allegatos firmavit, Rot. in Tudertina Iurispræconat. 9. Iunij 1623. coram Manzanedo, & coram Merlin. decisio. 407. numero sexto, & sequentibus. Cum igitur idem Alphonsus cesserit, & resignauerit, & ipse in manibus Papæ hanc dimidiam portionem, per talem resignacionem liberè factam fuit ab eo abdicatum omne ius, & quæcumque possessio ad tradita per Paris. de resignat. lib. 1. quæstion. 9. numero 1. & sequentibus. vbi quod tanquam vacans liberè potuit impetrari, & lib. 7. qu. 1. num. 11. vers. declarat primo Rota coram Merlin. decisio. 231. num. 3.

6. Reliqua in dictis literis narrata remanent quoque iustificata; Nam quod Didacus sit Sacerdos probatur ex literis Patentibus Eminentiſſ. Cardin. Vicarij Vrbis, quæ ad istum effectum sufficiunt gloss. in cap. inter quatuor de Cleric. Peregr. Felin. in cap. per cessionem num. 3. de probat. Rot. dec. 116. eod. tit. in antiquis Rot. decis. 705. n. 3. in fin. part. 1. & dec. 455. n. 7. part. 2. recent.

7. Controuerti neque potest valor narratus in ducatis auri de Camera 300. per non excessum, quia ex quatuor testium depositionibus datis in eodem Summ. Didaci numero nono, constat dimidias portiones esse annui redditus Scytorum 550. aut 600. ad summum moneta Cordub. nuncupata de Vellon, quæ vt non

excedant ducatos auri de Camera 300. concludunt iidem Testes, qui cum deponendo super valore percutiant tempus gratiæ obtenta per Didacum valor dicitur optimè iustificatus, Rot. coram Gregor. XV. decisio. 317. numero quarto, & coram Burat. decisio. 118. numero nono, pro huiusmodi enim iustificatore valoris, satis etiam fuisse vnicus Testis iunctis adminiculis, vt per eundem Gregor. XV. decisio. 163. num. 2.

8. Remanet etiam abundè iustificata gratia circa narratiuam trium beneficiorum obtentorum à Didaco, atque illorum valorem ex eorundem quatuor Testium depositionibus, quorum duo testantur quolibet illorum non excedere valorem ducatorum auri de Camera 24. eodem Summ. Didaci numero 11. ad obtentorum enim valorem probandum quæcumque admittuntur leuiore probatione, Egidi. decisio. 674. & 680. Corra decisio. 198. Part. decisio. 29. lib. 1. Imo etiam sola semiplena, ac minor probatio sufficit ex pluribus allegatis per Burat. decisio. 121. numero 5. decisio. 493. num. 6. & decis. 797. num. 2.

9. Non obstat statutum Ecclesiæ Cordub. confirmatum à Paulo IV. fel. recodat, requirens in prouisio puritate sanguinis, ad cuius probationem prætenit Capitulum Cordub. teneri Didacum pro iustificatione sui gratiæ, quæ vsque adhuc per eum non facta Beneficij seu dimidiæ portionis possessionem illi tradere recusat, quia licet statutum per verba disponat, Quod nullus ex Indorum, seu conuersorum genere descendentes ad aliquod beneficium in Ecclesia Cordub. admittatur, quodque præterea quiescumque alicui prouiso tradetur possessio, nisi ex Indorum seu conuersorum genere non esse; iuramentum præstare, & de eo sufficientem informationem dare teneatur; Vnde ex vi illius verbi, teneatur, Prouisio videatur imposita necessitas probationem puritatis sanguinis faciendi ad Text. in l. 1. ff. quod quisque iur. cum alijs per Ial. in §. curare, numero 7. insinuat. de alio. Sturd. cons. 81. numero decimo quarto. Tamen quia idem statutum continet etiam subsequenti verba, Et si id non fecerit, quod Capitulum illum accipiat, & si per eam de contrario constitit ralis prouisus admitti non debeat, & si iam fuisse admittus pro priuato habeatur, & ad restitutionem fructuum teneatur.

10. Ex his existimant Rota in similibus causis Capitulo obicienti impuritatem, & ortum à Parentibus infidelibus, vel alio modo impuris incumbere onus hoc probandi, & concludente, & cum vnusquisque purus præsumatur dum non probatur contrarium, cap. ultim. de præsumpt. & l. ab ea parte, ff. de probat. maxime quando natus est in Regione Christianorum, vt probatur de Didaco iuxta gloss. in cap. Presbyteris distinct. 8. & in cap. si eos. 1. §. de consecrat. distinct. 4. Rot. coram Manic. decisio. 274. numero primo, coram Cocino decisio. 68. num. pariter 1. & in recent. decisio. 167. numer. 31. & 32. & decisio. 182. numero quarto, part. 1. coram Merlino dec. 168. num. 1. & 2. Vbi habetur in terminis huiusmodi statutorum ita Rota semper seruare fuisse solitam, & multas referat alias decisiones.

11. Nihil refert quod illa verba statuti, sufficientem informationem dare teneatur, videantur stare præceptiuè, quia illa intelliguntur quatenus ex abundantia ipse prouisus veller suam puritatem deducere, & sic hoc relinquit in eius arbitrio; Vnde in defectum adimplenti non procedit illud ad priuationem contra prouisum, aut illum arceat à possessione, sed vt supra demonstratum fuit, grauat Capitulum ad faciendum huiusmodi probationem, & quatenus ab eo

eo probetur impunitas tunc denegat admissionem pro-
uiso, vt bene declarat *dist. decis. 368. coram Merlin.*
sub n. 6. cum duobus seqq. Lothar. de re benef. lib. 2. q. 43.
num. 68. & seqq.

12. Minus aduersatur quod Didacus ex propria con-
fessione sit Expositus quate equiparandus sit vulgo
quæsitis, vt per Bart. *in l. 1. in fine ff. de mancipal.*
qui vulgo quæsitus legitimari non possunt ob incerti-
tudinem Parentum Put. *decision. 425. lib. 1. numer. 1.*
& 2. Seraph. *decision. 108. num. 1.* vnde stante incerti-
tudine etiam respectu Parentum ipsius Didaci, im-
possibile reddatur Capitulo capere informationem su-
per puritate, vel impunitate illius sanguinis. Nam licet
vulgo quæsitus non possint legitimari, hoc tamen pro-
cedit, quia nulla haberi potest præsumptio de eorum
Patribus. Si autem ab aliquo vti à Patre agniti sunt
legitimantur iuxta *Text. in l. si quæ illi sit circa finem*
C. ad offician. & ratio est, quia tunc intrat præsum-
ptio, quod sint illius, à quo legitimantur. Cum autem
Expositi pro se habeant præsumptionem quod non
sint impuri, ac sanguine infecti ex *textu in l. sancimus*
Cod. de Infantib. exposit. & tenuerunt multi DD. magni
nomini relati, per Dian. resol. 96. part. 110. hæc sola
præsumptio sufficit ipsi Didaco, vt per Menoch. *de*
arbitr. cas. 396. num. 15. Grat. *discept. forens. cap. 135.*
num. 31. & cap. 267. num. 22. Barbof. *in Rubr. de Infantib.*
& c. num. 3. vers. verum DD. magis & in addit.
tom. 6. Collect. ad eandem Rubr. numer. 2. & de offi. &
potest. Episcopi part. 3. alleg. 51. n. 150. latè Castropal.
tom. 2. tra. 1. 3. dist. 4. punct. 1. n. 8. & seqq. adeo vt Ca-
pitulo Cordubensi dam intelligit illum excludere ex
capite impunitatis sanguinis non sufficiat illam præ-
sumptiue probare, sed requirantur plene, ac conclu-
dentes probationes, vt in dicta *decis. Merlin. 368. n. 1.*
& 2. quæ hic proflus deficiunt.

13. Nec obstat *decis. 185. numero tertio, part. 1. recent.*
quia ibi non affirmat Rota quod expositi non possint
admitti in Ecclesia Toletana, sed tantum incidenter
insinuat illos non posse satisfacere statuto puritatis;
quod quidem manifestum est. Nam si ipsi tenerentur
informationes dare, nullatenus satisfacere possent sta-
tuto: At vero in huiusmodi statutis, vt supra osten-
sum fuit, Prouisi non tenentur probationes facere,
sed hoc onus incumbit Capitulo, Ideo bene potest sta-
re, absque implicatione quod Expositi non possint sa-
tisfacere statuto, & tamen possint admitti: Ultra quod
statutum Ecclesie Cordubens. est diuersum à Statuto
Toletan.

14. Suffragatur etiam eidem Didaco, quod vti Ex-
positus obtinuit dispensationem vsque de anno 1624.
à san. mem. Urbano VIII. non solum ad suscipiendum
omnes Ordines Ecclesiasticos, sed etiam ad obtinen-
dum quæcumque, & qualicumque beneficia Ecclesi-
astica, tam sine cura, quam cum cura, vt in eius summ.
numero quarto. Vnde quæcumque incapacitas, quæ in
eo considerari poterat vti exposito, censetur sublata
ex plenissima habilitate, & restitutione illi concessa à
Pontifice Rot. *decision. 315. numer. 9.* licet etiam non
desint DD. qui teneant Expositos ad Sacros Ordines
promoueri posse absque vlla dispensatione, & esse ca-
paces successionum, ordinum, & dignitatum Felin. *in*
cap. cum deputari num. 13. de iudic. Menoch. *de arbi-*
trar. cas. 396. n. 16. in fine. Grat. *disceptat. forens. c. 135.*
n. 31. & c. 267. n. 22.

15. Nihilque faciunt alia præsentia statuta Eccle-
sæ Cordubens. disponentia modum seruandum circa
traditionem possessionis, & in specie dum mandant
quod Prouisi iurent, & de memoriale cum explica-
tione Patris, Auorum, & loci natiuitatis, quod ille fue-
rit expositus. Nam huiusmodi statuta tanquam con-
firmatione Sedis Apostolicæ carentia, non veniunt at-

tendenda; Cum concedi non potuerint vti iuri com-
muni contraria, quæ propterea pro eorum validita-
te tali confirmatione indigebant, ex multis relictis,
per add. ad Buratt. *decision. 758. numero decimo tertio.*
vbi habetur statutum disponens quod descendentes ex
genere infecto, nempe Iudæorum, Maurorum, vel Ha-
reticorum non admittantur ad beneficia Ecclesiastica,
esse contra ius commune. iuxta *text. in cap. eam 1. de*
rescript. & propterea restringendum esse, declarat
Bart. *in l. omnes populi numer. 6. ff. de inst. & in. ita*
vt nullam recipere possit extensionem, vltro illud,
quod in eo exprimitur iuxta *text. in verbo. §. de viro ff.*
solut. matrim. Vnde cum in Didaco Exposito non
reperiatur macula, quam statutum excludit, illa admi-
ttingitur, vt per Grat. *discept. forens. dist. cap. 267. nu-*
mer. 26.

16. Neque valet quod ex parte Capituli dicatur dicta
statuta facta fuisse pro maiori declaratione, & faci-
liori executione primi, & sic confirmationem Apo-
stolicam illa quoque comprehendere. Quia confirma-
tio primi emanauit à Paulo I V. de anno 1555. vlti-
ma vero statuta initium habuerunt post publicatio-
nem Sacri Concilij Tridentini quod fuit perfectum
sub Pio I V. de anno 1563. Vnde agitur de impossi-
bili, quod dicta confirmatio Apostolica ad præfata
statuta post tam longum tempus facta, extendi possit,
quia daretur casus quod confirmatio fuisset facta sine
confirmabili, quod non est admittendum, cum con-
firmari non possit quod non est ex doctrina, Bald. *in*
cap. ex li. eris numero quarto, vers. c. est ratio di-
uersitatis d. fid. instrum. & conf. 161. numero primo, in
sine vers. nam confirmatio non potest esse lib. 6. Tiraquell.
de legib. comm. gloss. 4. numero vigesimo sexto, in fi-
ne, Vincent. de Franchis deci. 204. num. 24. Ultra quod
sufficit, vt in eadem confirmatione non legatur dicta
præsentia statuta, sed insertus fuerit tantummodo te-
nor primi statuti, quia confirmatio restringitur ad li-
mites confirmati, & illius naturæ est, non aliquid de
nouo tribuere, sed quod iam tributum est, solum robo-
rare l. Aurelius §. testamento ff. de liber. legat. glof. in c. s.
verbo confirmat. de confirmat. vtil. vel inutil. Rot. *in*
recent. dec. 269. nu. 44. part. 4. recent. tom. 2. aliàs non
esset confirmatio, sed noua concessio, quæ duo valde in-
ter se differunt cap. *inter dilectos. §. certum de fid. in-*
strum. l. & quia. ff. de iuris. omnium iudicium. Abb.
conf. 57. col. fin. lib. 2. Dec. in rubr. de confirm. vtil. vel
inut. n. 1. vers. ad idem.

17. Nec aliqua confirmatio desumi potest ex obser-
uantia, quia ultra quod ex abundanti dicitur, quod ex
parte Didaci per testium depositiones probatur Alua-
rum Pizano de Palacios alias fuisse receptum in Ca-
nonicum scripturalem à Capitulo Cordubensi, non
obstante quod iste fuisset Expositus, vt in eius summ.
numero decimo sexto. qui solus actus est ad destruen-
dam quæcumque præsentiam, obseruantiam, etiam si
pro ea mille darentur Cyriac. *controu. 460. numer. 31.*
& 32. Rota *coram Gregor. XV. deci. 162. num. 9. vbi*
Adden. *num. 15.* & fuit resolutum in Toletana *decima-*
rum de Solma 22. Apr. 1641. coram R. P. D. meo Bichio
coram Merlino deci. 554. num. 31. & in Beneuentina
iurisdict. 27. Ianu. præteritis coram R. P. D. meo Zarate
sub §. immemorabilis circa finem. dicitur etiam, quod
refugium præsumptæ confirmationis remanet hodie
sublatum ex Constitutione Urbana adita anno 1641.
sub die 5. Iunii, quæ quæcumque præsumptæ con-
firmationes, & obseruantie, ac beneplacita Apo-
stolica ex temporis cursu deducta iuris optimo fue-
runt reiecta, & reprobata, prout ita firmatur in *Ti-*
burina assilut. 29. Iunii 1648. in Leodien Dominio-
rum 25. Iunii 9. præter quod oppositiones, coram Emi-
nentiss. D. Card. Corrado. Accedit quod versamur in
obseruantia

382 Decisiones Nouissimæ Sacræ Rotæ Rom.

Observantia voluntaria, & contra ius, que proinde non est attendenda, & quemadmodum Capitulum non potest condere statutum contra ius, ita nec inducere observantiam. Nam quod non potest fieri expressè, nec tacitè licitum esse debet, ut concludit Oinotom. *super Institut. §. ex non scripto de iure natur.* & ibidem post eandem conclusionem tuetur, ac in terminis firmavit Rot. *in recent. decis. 577. num. 55.*

segg. pag. 5.

18. Demum prætena observantia respectu ultimo-

rum Statutorum, nec potest dici probata per Testes ut in summ. Capitul. *n. 5.* quia cum illi deponant aut de auditu, aut de credulitate, aut in genere extare statutum super conditionibus, & qualitatibus admittendorum, ita verificari possunt in primo Statuto à Sede Apostolica confirmato, & quamvis talis observantia bene probaretur adhuc nullius esset relevantiæ ex supradictis.

Et ita resolutum fuit utraque parte informant, &c.

F I N I S.



INDEX